

clades fuit dira *pestis*, in pœnam numerati  
populi inflicta. Post hanc David armis cu-  
risque fractus *Solomonem* filium successo-  
rem regni constituit, & placidè decessit an-  
no ætatis 70, regni verò 40.

Anno.  
M:

*Solomon* initio regni sapientiam petivit à  
Deo & obtinuit. Cujus documentum illu-  
stre solenni judicio edidit. Struxit Domi-  
no *Templum* operis & sumtûs immensi;  
quod ipse sacrificio & oratione consecravit.  
Alia præterea monumenta & munimenta  
excitavit: omnes sui temporis Reges opibus  
& gloria antecelluit. Sed in *luxum* & vitia de-  
lapsus (cùm uxores idololatricas sibi mul-  
tuplicâisset) idolis earum litavit, & à Deo  
descivit: quapropter *dilaceratio Regni* ei de-  
nunciata, & Regni domûsque tranquillitas  
turbata est. Senex tamen resipuit à lapsu,  
ut piè creditur.

2910. nat.  
2981.

A morte *Solomonis* Regnum in  
duo est divisum, *Judæ* nimirum dua-  
rum; & *Israëlis* decem tribuum.

Reges *Judæ* XX. numerantur.

Reges  
*Judæ*.  
2987

*Roboam* juvenili superbia ac stolidi au-  
steritate alienavit decem tribus, & ad defe-  
ctionem movit, quæ proprium sibi Regem  
delegerunt. Bello, quod in rebelles para-  
bat, intercessit Propheta *Semaja* verbis Do-  
mini. Sed nec in pietate colenda cultûque  
sacro tuendo constantiam præstitit. Hinc  
magna rerum secuta est conversio. *Sisak*  
Rex *Ægypti* malè multatum depressit &  
humiliavit.

*Abia*